

impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personæ in Ecclesiastica dignitate constitutæ munitis, eandem prorsus fidem tam in judicio, quam extra illud ubique locorum haberi, quæ haberetur eisdem presentibus, si forent exhibitæ, vel ostensa.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die 26. Januarii 1740. Pont. nostri Anno X.

CCLXXV.

Damnatio, & Prohibitio cujusdam Libri Gallico idiomate impressi sub titulo - Histoire du Concile de Trente écrite en Italien par Fra Paolo Sarpi de l'Ordre des Servites, & traduite de nouveau en François avec des notes critiques, historiques, & Theologiques par Pierre François le Courayer, Docteur en Theologie de l'Université d'Oxford, & Chanoine Régulier, & ancien Bibliothécaire de l'Abbaye de Sainte Genevieve de Paris. A Amsterdam. Chez I. Vvetstein, & G. Smith. 1736.

CLEMENS PP. XII.

Ad perpetuam rei memoriam.

Proemium. Creditum humilitati nostræ Divinitus Pastoralis curæ atque vigilantix munus salubriter exequi, adjuvante Domino, fatigantes, a perniciosis pravatum Doctrinarum pascuis Dominicorum Gregem universum arcere, & Orthodoxæ Fidei puritatem servare, quantum Nobis ex alto conceditur, jugi studio nitimur; ne animæ pretioso Salvatoris & Domini Nostri Jesu Christi sanguine redemptæ pestifera tabe inficiantur, & in perpetuam damnationis periculum adducantur.

§.1. Cum itaque, sicut accepimus, in lucem prodierit quidam Liber Gallico idiomate editus, cui titulus - Histoire du Concile de Trente écrite en Italien par Fra Paolo Sarpi de l'Ordre des Servites, & traduite de nouveau en François avec des notes critiques, historiques, & Theologiques par Pierre François le Courayer, Docteur en Theologie de l'Université d'Oxford, & Chanoine Régulier, et ancien Bibliothécaire de l'Abbaye de Sainte Genevieve de Paris. A Amsterdam. Chez I. Vvetstein, et G. Smith. 1736. = Venerabiles autem Fratres nostri S.R.E. Cardinales in tota Republica Christiana contra hæreticam pravitatem Generales Inquisitores a Sede Apostolica specialiter deputati, audita Libri hujusmodi Censura sibi relicta, illum tanquam continentem propositiones falsas, temerarias, scandalosas, captiosas, seditiosas, alias damnatas, omnibus Episcopis, Sanctæ Sedi, totique Catholica Ecclesiæ injurias, erroneas, schismaticas, ac hæreticas respectivè, nec non ad stabiliendum systema Religionis impium, & hæreticum tendentes, prohibendum & damnandum esse censuerint.

E fidelium consorcio eliminatur.

§.2. Hinc est, quod Nos de memoratorum Cardinalium consilio, ac etiam Motu proprio, & ex certa scientia, & matura

deliberatione nostris, deque Apostolica potestatis plenitudine supradictum Librum sub supra expresso, aliove quocumque titulo, ubicumque, & quocumque alio idiomate, seu quavis editione, aut versione, huc usque impressum, aut in posterum, quod absit, imprimendum, tenore presentium damnamus, & reprobamus, ac legi, seu retineri prohibemus, ipsiusque Libri impressionem, descriptionem, lectionem, retentionem, & usum omnibus, & singulis Christianis, etiam specificis, & individua mentione dignis, sub pena Excommunicationis per contrafacientes ipso facto absque alia declaratione incurrenda, a qua nemo a quoquam (præterquam a Nobis, seu Romano Pontifice pro tempore existente) nisi in mortis articulo constitutus, absolutionis beneficium valeat obtinere, omnino interdicimus.

§.3. Volentes, & auctoritate Apostolica mandantes, ut quicumque Librum hujusmodi penes se habuerint, vel in futurum quodcumque habebunt, illum statim, atque presentes literæ eis innoverint, Locorum Ordinariis, vel Hæreticæ pravitatis Inquisitoribus tradere, atque consignare teneantur: hi vero exemplaria sibi sic tradita illico flammis aboleri curent: In contrarium facientibus non obstantibus quibuscumque.

§.4. Ut autem presentes literæ omnibus facilius innotescant, nec quisquam illarum ignorantiam allegare possit, volumus & auctoritate prædicta decernimus illas ad Valvas Basilicæ Principis Apostolorum, ac Cancellariæ Apostolicæ, nec non Curie Generalis in Monte Citatorio, & in Acie Campi Floræ de Urbe per aliquem ex Curforibus nostris, ut moris est, publicari, illarumque exempla ibidem affixa relinquis sic vero publicatas omnes & singulos, quos concernunt, perinde afficere, ac si unicuique illorum personaliter notificata, & intimata fuissent; ipsarum autem literarum, transumptis, seu exemplis etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personæ in Ecclesiastica dignitate constitutæ munitis eandem prorsus fidem tam in judicio, quam extra illud ubique locorum haberi, quæ haberetur eisdem presentibus, si exhibitæ forent, vel ostensa.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris XXVI. Januarii MDCCXL. Pontificatus Nostri An. X. D. Card. Passioneus.

Locorum Ordinariis, hanc litteram transumptis danda fides.

Harum Litterarum transumptis danda fides.

Dat. die 26. Januarii 1740. An. X.

Dam-

CCLXXVI.

Damnatio, & Prohibitio cujusdam folii Gallico idiomate impressi, cui titulus - Arrest de la Cour du Parlement, portant suppression d'un Imprimé intitulé - Lettres de plusieurs Evêques sur l'obligation de priver de l'oblation du Sacrifice de la Messe, & des suffrages de l'Eglise ceux, qui meurent appellans de la Constitution Unigenitus. A Tpres, Chez Pierre Jacques Rave Imprimeur de Monsieur l'Evêque, rue Messine 1739. avec approbation. A Paris, Chez Pierre Simon Imprimeur du Parlement, rue de l'Harpe al Hercule 1739.

CLEMENS PP. XII.

Ad perpetuam rei memoriam.

CUM, sicut Nobis innotuit, in lucem prodierit quoddam folium Gallico idiomate impressum, cui titulus - Arrest de la Cour du Parlement portant suppression d'un Imprimé intitulé - Lettres de plusieurs Evêques sur l'obligation de priver de l'oblation du Sacrifice de la Messe, & des suffrages de l'Eglise ceux, qui meurent appellans de la Constitution Unigenitus. A Tpres Chez Pierre Jacques Rave Imprimeur de Monsieur l'Evêque, rue Messine 1739. avec approbation. A Paris, Chez Pierre Simon Imprimeur du Parlement, rue de l'Harpe al Hercule 1739. Hinc est, quod Nos pro commissa Nobis divinitus Gregis Dominicæ cura, Animarum periculis atque detrimentis, quæ ex ejusdem folii lectione, & usu provenire possent, pastorali sollicitudine, quantum cum Domino possumus, occurrere volentes, Motu proprio, ac ex certa scientia, & matura deliberatione nostris, deque Apostolicæ potestatis plenitudine folium supradictum tenore presentium damnamus, & reprobamus, ac legi, & retineri prohibemus, ipsiusque folii descriptionem, retentionem, lectionem, & usum omnibus, & singulis Christianis, etiam specificis, & individua mentione, & expressione dignis sub pena Excommunicationis per Contrafacientes ipso facto absque alia declaratione incurrenda, a qua nemo per quemquam, nisi per Nos, seu Romanum Pontificem pro tempore existentem, præterquam in mortis articulo constitutus, possit absolvi, omnino interdicimus. Volentes & auctoritate prædicta mandantes, ut quicumque folium hujusmodi penes se habuerint, vel in futurum quodcumque habebunt, illum statim, atque presentes Literæ eis innotuerint, locorum Ordinariis, vel hæreticæ pravitatis Inquisitoribus tradere, & consignare teneantur; hi vero folia sibi sic tradita illico flammis aboleri curent. In contrarium facientibus non obstantibus quibuscumque.

Demandata damnationis publicatio.

§.1. Ut autem presentes Literæ omnibus facilius innotescant, nec quisquam illarum ignorantiam allegare possit, volumus, & auctoritate prædicta decernimus, illas ad valvas Basilicæ Principis Apostolorum, ac Cancellariæ Apostolicæ, nec non

Curie generalis in Monte Citatorio, & in Acie Campi Floræ de Urbe per aliquem ex Curforibus nostris, ut moris est, publicari, illarumque exempla ibidem affixa relinqui; Sic vero publicatas, omnes, & singulos, quos concernunt, perinde afficere, ac si unicuique illorum personaliter notificata, & intimata fuissent; Ipsarum autem Literarum transumptis, seu exemplis etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personæ in Ecclesiastica dignitate constitutæ munitis eandem prorsus fidem tam in judicio, quam extra illud ubique locorum haberi, quæ haberetur eisdem presentibus, si exhibitæ forent, vel ostensa.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die 26. Januarii 1740. Pontificatus Nostri Anno X. D. Card. Passioneus.

Dat. die 26. Januarii 1740. An. X.

CCLXXVII.

Approbatio nonnullarum Resolutionum Congregationis particularis a SSno deputatæ super Registris in officiis Notariorum Sac. Rotæ Auditorii emanatarum.

CLEMENS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI

Ad perpetuam rei memoriam.

Romanus Pontifex providus Justitiæ cultor a Deo constitutus in Terris ex vigili operose sue mentis indagine libenter intendit ad ea, per quæ in quibuslibet Tribunalibus præsertim in causarum Palatii nostri Auditorii Notariorum labor, illorumque merces in ejusdem Justitiæ lance æquo inter se subsistant pondere, & litigantium Jura in eorum officiis fideli ad Judiciorum laudem, & perennem litigantium indemnitate serventur studio, extinguisque litibus, nova non oriatur super litium extinguarum hujusmodi expensis litis occasio, sed Justitia, & charitas in eodem Auditorio, in quo graviore universorum fidelium promoventur causæ veluti in eorumdem conclusio horto invicem inter se prospiciant, & mutuo osculentur amplexu.

§.1. Cum itaque nos nuper ad submovendas nonnullas inter dilectos filios causarum Palatii nostri Apostolici Notarios ex una, & causarum hujusmodi Patronos, & respectivè litigantes ex altera Partibus exortas quæstiones, necnon ad dirimendos nonnullos in eorumdem Auditorii hujusmodi Notariorum officiis in illorum, & litigantium præjudicium contra formam, & tenorem Constitutionum, & Decretorum alias pro æquali litigantium, & Notariorum hujusmodi indemnitate a nonnullis Romanis Pontificibus Prædecessoribus nostris emanatarum, & editorum, quarum, & quorum respectivè tenores presentibus pro expressis haberi volumus, irreptos abusus, Congregationem particularem duorum S.R.E. Cardinalium, duorumque Romanæ Curie Prælatorum videlicet: Vincentii tunc S. Honuphrii, nunc vero Sancti Petri

Proemium.

Ad tollendos abusus, qui in variis Tribunalibus irreprosant, Congregatione Particulari deputat. Clemens.

ad



Edite inde nonnulla Leges.

Notarii vero proprio regestris consignare debent Jura producta ab anno 1671 ad 1728.

Jura vero post annum 1728. registanda sub pena hic enunciata.

Adunata iterum Congregatio.

Statuta metices pro Regestris imposturum in expeditione causarum, vel ad instantiam partium faciendis. In alia Congregatione praedicta omnia confirmata.

ad Vincula Petra Pœnitentiarii Majoris, ac Visceratoris Apostolici super omnibus Tribunalium nostræ Urbis officiis specialibus ad id facultatibus concessis delegati, ac Marcelli S. Mariæ in Araceli respective titulorum. Presbyterorum Passari respective nuncupatorum, ac Pro-Auditoris nostri dilectorum filiorum nostrorum, necnon Marcellini Corio tunc nostræ Urbis prædicte Gubernatoris, & Vice-Camerarii, ac magistri Ludovici Merlini signature nostræ Justitiæ votantis, & in Congregationis prædicte Secretarium electi dilectorum filiorum, & quoad Marcellinum nunc S. R. E. Cardinalem Corio nuncupatum nostri deputavimus.

§. 2. Et Congregatio prædicta habita sub die vigesima septima Januarii Anno Domini millesimo septuagesimo trigesimo quinto re mature discussa, auditisque ad singulas resolutiones tam Notariis Auditorii prædicti, quam dilectis pariter filiis Dominico Jonantonii, & Guglielmo Ricca ex antiquioribus Patronis de Collegio Patronorum causarum Palatii nostri prædicti pro interesse litigantium, & Procuratorum prædictorum de mandato nostro adscitis.

§. 3. Primo videlicet Notarios Auditorii prædicti a confectione Regestrorum omnium ab anno Domini millesimo sexcentesimo septuagesimo primo usque ad diem vigesimam octavam Aprilis anni ejusdem Domini millesimi septingentesimi vigesimi octavi, qua Constitutio fe. re. Benedicti Papæ XIII. Prædecessoris nostri desuper emanavit absolvendos esse, cum hoc tamen, quod Notarii prædicti propriis eorum sumptibus omnia Jura producta in singulis causis, quarum regestris omnia fuerunt recolligere, eademque in Protocolis diligenter asservari, respective redigere teneantur.

§. 4. Secundo Regestris omnia per Notarios Palatii nostri hujusmodi in causis expeditis a dicta die vigesima octava Aprilis prædicti anni millesimi septingentesimi vigesimi octavi, qua prædicta Constitutio Benedicti Prædecessoris emanavit, omnino reintegrare, eaque facere in termino unius anni a die præsentis statuti, quo elapso, & non confectionis Regestris omnia prædictis, Notarium, seu Notarios, qui defecerint, in decem scutis aureis pro qualibet die Congregationis S. Hieronymi charitatis de Urbe gravari respective decreverit, & censuerit.

§. 5. Iterum vero præfata Congregatio sub die nona mensis Septembris Anni ejusdem Domini millesimi septingentesimi trigesimali septimi coadunata adiunctisque ad petitionem Notariorum præfatorum pro Camera nostræ Apostolicæ interesse Theaurario ejusdem Camera Generali, illiusque Commisario.

§. 6. Tertio Regestris imposturum in actu expeditionis causarum, vel ad partium requisitionem faciendam esse, & in utroque casu, mercedem tantum debere.

§. 7. Et demum adiuncto dilecto pariter filio Magistro Carolo Calcagnini ejusdem Auditorii Auditorum, & Cappellanorum nostrorum Decano, eodemque intervenien-

te Congregatio præfata die quarta præsentis mensis Januarii reassumptis perpensisque sub maturo omnium examine tum præfatis resolutionibus tum nonnullis aliis ad diversos effectus præcedenter acceptis tam in præfatis, quam etiam in aliis Congregationibus intermedio tempore habitis ad majorem Notariorum Auditorii præfati, ac litigantium indemnitate recesserit a decisio: Quo vero ad cetera alia superius non reassumpta, & non expressa, & in reliquis persistendo in decisio quoad resolutiones prædictas.

§. 8. Quarto quoad Regestras formalia, seu Instrumenta actorum facta per eundem Auditorii Notarios in causis jam renunciatis, vel transactis, comprehensis etiam illis factis a die vigesima septima mensis Januarii anni millesimi septingentesimi trigesimali quinti usque ad diem nonam mensis Septembris anni millesimi septingentesimi trigesimali septimi nihil Notariis præfatis debentur, nullaque jura ad eorum favorem esse servanda.

§. 9. Quinto tamen eisdem Notariis emolumentum solius mercedis citationum, & actorum in omnibus, & singulis causis etiam renunciatis, & transactis, seu renunciandis, & transigendis tam pro præterito, quam pro futuro, exceptis dumtaxat causis renunciatis, vel transactis ante diem nonam præfati mensis Septembris dicti anni millesimi septingentesimi trigesimali septimi, pro quibus faciendam esse condonationem colligantibus in compensationem Regestrorum per eosdem Notarios usque ad diem, qua præfata Constitutio Benedicti Prædecessoris præfati emanavit omnia dummmodo tamen eadem causæ renunciata, seu transacta ante diem nonam præfati mensis Septembris d. anni millesimi septingentesimi trigesimali septimi nullo modo reassumantur, & sic respective reservato jure Notariis prædictis consequendi eorum mercedem, quatenus aliquam earumdem causarum quoquo modo reassumi contingeret etiam quoad incidentia debere.

§. 10. Sexto pro exactione mercedis dilectorum actorum, & citationum factorum, & faciendorum ad formam, ut præfertur actionem Notariis præfatis tam contra Principales, quam contra Procuratores exercendam ad eorum arbitrium competere.

§. 11. Septimo causarum dubia in prædicto Auditorio proponenda sub pena nullitatis subscribi non posse, & subscripta non proficere, nisi in actu dictæ subscriptionis una simul exhibita fuerit Auditori Ponenti fides Notarii actuarii gratis omnino danda, in qua de prædictis Citationibus, & respective actorum processum, seu Extractorum, & jurium transportationibus, seu repetitionibus in suis respective casibus præcedenter factis plenaria attestatio in omnibus, & per omnia juxta ejusdem Auditorii decretum prævio vivæ nostræ vocis oraculo die decimatertia mensis Octobris anni proxime præteriti publicatum habeatur.

§. 12. Octavo, ac demum renunciatio-

Pro regestris causarum renunciatarum nihil a Notariis exigendum.

Quid in causis reassumptis, vel reassumendis exigendum sit.

Notariis pro mercede actio competit tam contra Procuratores, quam contra Principales Causarum.

Causarum Dubia non subscribenda, nisi prævia attestatio Notarii de Citationibus, Jurium transportationibus &c.

Prælaudata Decreta Apostolica auctoritate confirmantur.

Præfentes Litere nullo modo vitio.

nes causarum pendentium, & imposturum respective agendarum in eodem Auditorio ad libitum litigantium, etiam extra actum ejusdem Auditorii Notariorum, & penes quemcumque aliorum Tribunalium Notarium, dummodo hoc casu fides authentica renunciacionis extra ejusdem S. Auditorii acta emissa in actis Notarii ejusdem Auditorii, qui in causa scripsit, intra quindecim dies exhibeatur fieri posse, & alias prout in prædicta Benedicti Prædecessoris hujusmodi Constitutione, & in illis §. Quamvis in ejusdem §. Fine, cuius exactam observantiam iterum in hac signanter parte injungendam esse censuerit.

§. 13. Nos igitur omnibus, & singulis prædicte Congregationis a nobis, ut præfertur deputatæ provide censitis debita meditatione pensatis, & attendentes, quod ex illorum observantia Iustitiæ decor, & cultus, nec non litigantium indemnitas, & publica oritura sit utilitas, Motu proprio, & ex certa scientia, & Apostolicæ potestatis plenitudine omnia & singula censita prædicta, & eorum quodlibet Apostolica auctoritate tenore earumdem præsentium perpetuo approbamus, & confirmamus, omnesque, & singulos defectus etiam substantialiales, si qui in eis quomodolibet intervenierint, seu intervenisse dici possit, auctoritate, motuque nostris prædictis supplemus, eaque ab ejusdem Auditorii Notariis, illiusque Causarum Patronis, ac in eodem Auditorio litigantibus sub penis prædictis inviolabiliter observari, & ab eis nullo umquam tempore sub quovis pretextu, titulo, aut colore, aut quavis causa minime resiliiri posse.

§. 14. Nec non præfentes, & in eis contenta quæcumque etiam ex eo, quod quicumque alii in præmissis, seu eorum aliquo interesse habentes, seu habere quomodolibet prætendentes ad præmissa minime vocati, & auditi, minisque causæ, propter quas eadem præfentes emanarint adductæ, verificatæ, seu alias sufficienter, aut etiam nullatenus justificatæ fuerint nullo unquam tempore de subreptionis, obreptionis, nullitatis, aut invaliditatis vitio, seu intentionis, aut alio quovis defectu etiam quantumvis magno inexcogitato, & substantiali, sive etiam ratione enormis, enormissimæ, & totalis læsionis, aut quocumque alio pretextu, aut lure etiam in corpore Iuris clauso, seu etiam occasione, vel causa etiam quantumvis iusta, rationabili, & privilegiata etiam tali, quæ ad effectum validitatis præmissorum necessario exprimenda foret, notari, impugnari, invalidari, retractari, in jus, vel controversiam revocari posse, neque ipsas præfentes sub quibusvis similibus, vel dissimilibus dispositio-

num revocationibus, limitationibus, aut aliis contrariis ordinationibus pro tempore quomodolibet faciendis comprehendendi, sed semper ab illis exceptas perpetuo validas, firmas, & efficaces existere, & fore, suoque plenarias, & integros effectus obtinere, ab omnibus, & singulis, ad quos spectat, & quomodolibet spectabit in futurum, inviolabiliter observari, sicque, & non alias in præmissis omnibus, & singulis per quoscumque Judices etiam Palatii nostri Apostolici prædicti Auditores, ac prædicte S. R. E. Cardinales etiam de latere Legatos, & alios quavis auctoritate, & potestate vulgentes in quavis causa, & instantia, subacta eis, & eorum cuilibet aliter judicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate judicari, & definiti debere, ac irritum, & inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari, decernimus.

§. 15. Non obstantibus Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, ac nostra de non tollendo jure quaesito, aliisque Cancellariæ Apostolicæ regulis, nec non erectionibus officiorum prædictorum, & illorum concessionibus, acquisitionibus, gratiis, privilegiis, facultatibus, & indultis quibuscumque, ac alias quomodolibet motu, scientia, & potestatis plenitudine paribus ac etiam Consistorialiter, & alias quomodolibet per Romanos Pontifices Prædecessores, & Successores nostros, ac etiam per Nos hætenus concessis etiam sub quibuscumque clausulis etiam insolitis, ac derogatoriis derogatoriis, irritantibus, & aliis decretis: quibus omnibus, & singulis ceterisque illorumque tenores acti de verbo ad verbum nihil penitus omisso, & forma in illis tradita observata, & inserti forent, præfentibus pro expressis habentes, illis alias in suo robore permanentibus, hac vicem dumtaxat harum ferie derogamus, & derogatum esse volumus.

§. 16. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ approbationis, confirmationis, defectuum suppletionis, decreti, derogationis, & voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire: Si quis autem hoc attentare præsumserit, indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum ejus se noverit incursum.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem Anno Incarnationis Dominicæ millesimo septingentesimo trigesimo nono. Sexto Kalendas Februarii Pont. nostri Anno X. A. Card. Pro-Datarius. V I S A. De Curia. N. Antonellus. J. B. Eugenius.

Derogatio contrariorum

Pœna contra temerarios hujusmodi Constitutionis.

Dat. die 17. Janu. 1740. An. X.

Finis Tomi Decimi quarti.